



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 20. in obsessos dæmonio muto, sive pœnitentes sacrilegos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

transfossus, toleravit hæc volenter & libenter omnia, nè vos vitulari cum Hebræo populo, ferocire cum Nabuchodonosore, rabiem caninam exerere cum Semei, quasi leo in domo turbare domesticos, cum unicorni omnes impetere velitis, quin potius in authorem reformatoremque imaginis nostræ respicite, qui pro nobis non tantum homo fieri, sed digito à Pilato ostendi & dicier: *ecce homo dignatus est*, cujus ad exemplum mores vestros & amores componite, ut similes hominibus & non jumentis insipientibus comparati videamini. Quin potius transfiguretur unusquisq; cum Christo, & veste lucis induatur, quæ est animæ per sacramentum pœnitentiæ justificatio, assumat vultum

solis per conformitatem voluntatis propriæ cum divina, ut vultus in diversa amplius non mutantur, in-tret in nubem specierum Eucharisticarum, adhibeat pro tribus Apostolis tres virtutes theologicas, pro geminis prophetis mansuetudinem in injurijs proprijs, Zelum in injurijs Deo illatis, ut hac ratione è vultu & vestibus agnosatur solis æmulus, cælorum candidatus, filius dilectus, in quo sibi Pater complaceat.



PHILIPPICA XX.

In obsessos dæmonio muto, sive pœnitentes sacrilegos.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

Erat Iesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Luc. II. V. 14.

§. I.
Ingens pudor est sacrilegum non superare pudorem.



S unquam linguas mihi centum, oraque centum optavi, hodiernâ imprecor die, cum contra dæmonia muta agendum, est. adeste energumeni, stete, audite, respondete, cur scelera vestra sacrilego involvitis silentio, quæ incessanter contra vos ipsos clamant, accusant, laniant & parturientium, ut ait Oseas c. 13. v. 13. pariunt in anima dolores? cur muto locum datis dæmonio, resistitis autem spiritui Sancto, cui non nisi syncerâ & integrâ confessione templum cordis vestri aperiri potest & consecrari? cur quod creditis *in die agnitio-*

nis toti propalandum esse mundo, uni pudet pandere sacerdoti non in confusionem, sed salutem & pacem, & gaudium, & gloriam vestram; nihil enim gloriosius homini, quàm dare gloriam Deo, & sua confiteri peccata, juxta illud Josue ad Achan. *fili mi da gloriam Domino Deo Israël & confite-re atq; indica mihi, quid feceris, nè abscondas* Jos. 7. v. 19. nè abscondite o peccatores, sed indicate Dei vicario, quid feceritis, ut detis gloriam Deo Israël, gaudium spiritui sancto, vobis ipsis quietem, & securitatem. non est pudor confiteri pudenda scelera, sed pudor immanissimus est ab inordinato vinci pudore, tacere, negare, colorare in dæmonij muti gratiam ea crimina, quæ in Dei

N 3 &

& angelorum oculis luce meridianâ sunt clariora, & in oculis solis huius, in conspectu omnis Israël aliquando propalanda, Ejice ô potentissime Iesu in digito Dei nefandum hunc pudorem, nè æternum auditorum meorum quenquam pudeat, sacrilegè pudentem fuisse.

S. 2.
Difficul-
ter mutus
peccator
converti-
tur. cuius
figura La-
zarus est
quatrindu-
nus.

S. Bernar-
dus serm.
2. de S. An-
drea.
S. Chryso-
log. serm.
65.

S. Chryso-
log. serm.
64.

Proh quàm difficile est latitans in pectore scelus extrahere, & velut quatrinduanum de sepulchro fœtido Lazarum in lucem gratiæ producere. Cùm suscitaturus esset Iesus Lazarum, tot cerimonijs uti placuit, quot in omnibus retrò miraculis usus est nunquam: *infremuit spiritu, & turbavit seipsum*. Joann. II. v. 33. non conditionis necessitate, inquit Bernardus, sed suæ beneplacito voluntatis. *fremuit vita* (verba Chrysologi) *ut mors fugetur. fremuit Deus, ut resurgat homo; fremuit Christus debellans mortem, quia non potest non fremere, qui singularem de hoste rapit victoriam*. Non fremuit, cùm filiam Archisynagogi, aut filium viduæ Naimiticæ suscitavit, sed cùm Lazarum; quia hic imago muti est peccatoris, qui in sepulchro sacrilegi silentij, ligatus pudoris infani institis, lapide ad ostium admoto putrescere, & verminare mavult, quàm aperire Sacerdoti cōscientiam, & respirare ad vitam; singularis de hoste victoria est dæmonium mutum expellere, ideòque fremitu digna. *infremuit, & turbavit se ipsum*, totâ se viscerum commotione conturbat, quia adhuc solum Lazarum, & non jam omnes mortuos suscitabat, inquit Raveñatium archipræsul; imò se conturbat, quia vix de millibus unum peccatorem mutum novit resuscitandum, atque ex ipso hoc resuscitationis defectu paucos in die novissimo ad beatam immortalitatem resurrecturos. nec tantum turbavit seipsum, sed & *lachrimatus est Iesus*

v. 35. cur lachrimatus? quòd revocare illum oportebat ad tolerandas rursus vitæ miserias, inquit Rupertus; melius Ambrosius: *flevit, ut prius lacrimis suis delicta lavaret mortui*, cui D. Epiphanius consonat: *lachrymatus est ob hominum obstinam duritiem*, ante oculos bonus Iesus tunc habuit omnes mutos peccatores, quorum duritiem sic sensit, ut non pauciores super unum talem Lazarum effuderit lachrymas, quàm super totam civitatem Ierusalem. ò si hæ lachrymæ corda, & ora vestra emolliant, ut solutis sacrilegæ linguæ vinculis detis gloriam Deo. at ecce fructum lachrymarum Iesu, emolliit ijs lapidem, quem tolli jubet: *tollite lapidem*, hic est lapis offensionis, & petra scandali, ipsum videlicet obstinatum silentium, quo clauduntur à dæmonibus ora, nè de sepulchris scelerum Lazari prodeant. grues nè garrulitate suâ aquilas provocent, lapillos rostris imponunt, cùm mare transvolant; feralem dæmon lapidem peccatoribus imponit, cùm mare pœnitentiæ transeundum est, nè exaudiri ad salutem, & in prædam cedere possint Salvatori. Cives Ephronitæ, nè Judæ Machabæo in terram Juda transituro civitatis portæ paterent, lapidibus eas obstruxerunt, nec remove eosdem toties moniti voluere. expugnavit proinde urbem Judas, & vindice ferro mares omnes interemit. *Machab. 5.* transire per os nostrum in regnum suum, cor in quâ, optimus Iesus desiderat, verum hanc portam in exitiū suum obstruunt muti peccatores, de quibus Michæas c. 7. v. 16. *ponent manum suam super os, aures eorum surde.* vel dicamus per Judam intelligi confessionem, per ephron peccatorem, qui pulvis, & cinis est [Juda enim *confessio*, Ephron cinis latinè transfertur] recusat cinis

Rupert. l.
10. in Joann.
S. Ambros.
l. de Josepho
c. 10.
S. Epiphanius
in Arcorato.

nis suam detegere fragilitatem & miseriam, negat Ephron Judæ, efrons peccator confessioni transitum, & lapidum amolitionem? at væ refractarijs, nî lapide quovis remoto os, & cor repandant! pendent enim inviti, cum orbe palam revelabuntur eorundem flagitia, propriâque sese ipsos confessione conficiant: *erravimus nos insensati*. Ah! jube me ocyus ait bone Iesu tolli lapidem, ut Lazarus prodeat, & vivat: *ait Iesus tollite lapidem v. 39.* poterat Salvator tacitâ vi operationis occultæ transferre, inquit Ambrosius, sed hominibus iussit, ut removerent lapidem in typo, quod nobis donaret, ut levaremus delictorum onera, moles quasdam rerum. nostrum est onera remove-re. hæc Ambrosi⁹. Non facit absque necessitate Dominus prodigium, nec lapidem ipse removet, sed ut removeatur jubet, quia licet perfectam omnium scelerum habeat notitiam, non tamen ea dimittit, nisi sacerdoti universa detegamus, & silentij lapidem tollamus, *nostrum est onera remove-re*, prudentique rationatione convincere nosmetipsos ad hunc offensionis lapidem amolendum. Tollite ergo lapidem peccatores, & vocem evocantis Verbi percipite: *voce magnâ clamavit: Lazare veni foras v. 43.* valido clamore prævenientis gratiæ, & præpotenti auxilio omnipotentis misericordiæ opus est, ut mutum peccatorem revoces ad salutem. Lazaro dicitur, inquit diviniſſimè Gregorius homil. 26. in Evang. *Lazaro dicitur veni foras; ac si aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur: cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? foras jam per confessionem egredere, quia apud te interiùs per negationem lates. veniat itaque foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator.* Consonat Gregorio Am-

broſius l. 2. de poenit. *veni foras. hoc est, qui jaces in tenebris conscientiæ, & delictorum tuorum sordibus, exi foras; delictum proprium prode, ut justificeris.* Non prosequar cetera resuscitati Lazari mysteria, id unicè observari pervelim, insolentes hocce fremitus & viscerum motus, & oculorum imbres, & oris tonitrua idcirco à Salvatore adhibita, ut doceret miraculorum esse miraculum peccatoris muti animationem seriam ad sinceram scelerum confessionem. Narrat Baronius tomo 12. sacerdotem concubinarium ad velandam nequitiam suam creberimè poenitentia adijſſe tribunal, sed muto sèper comite dæmonio; amicitiam insuper intimam cum Religiosis Bonævallis inſiſſe, ut videretur inter bonos non malus esse; qui erat inter Angelos diabolus. Patuit paulò post in fatali ægritudine sacrilegi perversitas; mediâ enim nocte horrendum exclamavit, & prioris è monasterio Bonævallensi opem in clamavit. *succurre! Pater succurre!* ecce Leones terribiles in me irruunt, proh quales rictus, quales dentes, quales oculi, quales flammæ! ora pater pro me miserimo, ah ora! oravit sacerdos, evanuére bestia, rediit ad se æger, nec tamen ad exomologesin induci potuit. Quare horribilius ac antea exclamavit: heu ignis! qualis de cœlo in me ignis ruit, circumdor flammis! ah juva Pater! juvit religiosissimus sacerdos, nec tamen impetrare ab ægro potuit, ut ab hoc illuminatus igne periculum salutis agnosceret, aut ad serium dolorem ab his flammis liquefieret. Induratus ergo in scelere tertium exclamat: jam rapior ad iudicium! e-heu perit! damnatus sum! videtis sartaginem igneam? in qua frigidus sum? videtis truculentos dæmones, quorum potestati traditus sum

S. Ambrosius l. 2. de poenit. c. 7.

sum? jam linteamina arripiunt, jam abripior! dixit vixitq; sine ullo pœnitudinis sensu, quidquid de immensa DEI clementia, de infiniti valoris meritis, sanguine, lachrymis, sudoribus Iesu Christi ingere- ret sacerdos. usque adeo eliberare dæmonio, Lazarum foetidum edu- cere sepulchro, pudorem scelerat- um tollere vel à moribundo.

§. 3.
Super
mutum
puteus
claudit os
suum.

Areprobo hoc pudore ac si- lentio præservari cupiens Psaltes- ita Deum orat, *non me demergat tem- pestas aquæ, neque urgeat super me puteus os suum, neque absorbeat me profundum.* ps. 6. 8. v. 16. multa in brevi suspirio mysteria, quæ ut as- sequamur, fingamus in puteum aut flumen profundum è nobis ali- quem cecidisse, qui quamdiu os, & fauces supra aquam extollit, spem habet vitæ, quia respirare potest, & opem urinatorum inclamare. quòd si ore & capite infra aquas descen- dat, spes unà in puteum, vita verò in liquidum cecidit sepulchrum. nè absorbeat me profundum, nè urge- at super me puteus os suum clau- dendo os meum, ut de vita ac fa- lute conclametur. Præclare Augu- stinus in hunc psalmum: magnus puteus est profunditas iniquitatis humanæ, illuc qui ceciderit in al- tum cadit, sed tamen ibi positus si confiteatur peccata sua, non super- eum claudit puteus os suum, si veni- at in profundum & contemnat, clau- dit super eum puteus os suum, qua- re claudit os suum? quia perdidit confessionem; verè mortuus est, quæ eruat non habet. Metuen- da ista res est vehementer. hucusq; Augustinus. Metuèda erubescètia, quæ nos in rubri maris, sive noxii pudoris profundo suffocat, & in a- byssum amaritudinum præcipitat.

§. 4.
Simula-
tores calli.

Meretur quidem peccator eo ipso, quo sciens volens legem divi-

nam transgressus est, momento de- mergi in suppliciorum profundum, sed dissimulat divina misericordia, expectat, invitat, stimulat ad pec- catorum confessionem, quam si no- lit præpostero pudore victus per- agere peccator, imò sacrilego silen- tio pudenda scelera involvat, tum demum Amor in furorem, clemen- tia in rigorem, veritas in severita- tem convertitur, & iniquitas ad o- dium invenitur. Quoniam dolosè egit in conspectu ejus, ut invenia- tur iniquitas ejus ad odium ps. 32. v. 2. *dolosè agit, inquit Hugo, qui pec- catum suum defendit, vel conscien- tiam suam negligenter inquirit*, vel quod gravissimum est, pertinaciter negat & pernegat, quæ dolosa ini- quitas invenitur ad vindictam sem- piternam, *hæc est via præcipua inte- ritus*, inquit de sacrilego silentio D. Ioannes Chrysostomus, *malum est quidem peccare, hoc pejus negare, postquam peccaveris*; non ita pecca- tum, quantumcunque enorme sit, iram divinam provocat & accele- rat, sicut peccati coram tribunali pœnitentiæ callida simulatio. ex Jo- bo id discamus: *simulatores & callidi provocant iram Dei, nec clamabunt eum vindicti fuerint* Job. 36. v. 13. in quæ verba elegantissimè scripsit, D. Gregorius L. 26. moral. c. 28. vin- cti tantò clamamus altiùs, quantò in percussione positi peccata nostra veracius confitemur; apud aures quippe Dei vox valida, devota con- fessio nostra est. Quia ergo simu- latores quamvis duci se ad æterna supplicia non ignorent, confessio- nem puram exercere negligunt, quasi vinciti clamare contemnunt, ideòque iram Dei provocant, & æternam sibi ignominiam accersunt.

Non possunt impunita mane- re sacrilegia, quæ ceteris peccatis graviùs Deus odit. Sex viros vidit Ezechiel stantes juxta altare strictis

di, sive
pœnitentes
sacri-
legi iram
Dei pro-
vocant.

§. 5.
Exem-
pla duo
horrida.

ar-

armatos gladijs in ultionem peccatorum. cur juxta altare consistant, causam reddit D. Hieronymus in c. 9. v. 2. Ezech. *juxta altare stare dicuntur, parati ad jubentis imperium, ut cujuscunque viderint ibi non esse peccata dimissa, sententiâ domini & interfectioni subjacere cognoscant.* non sunt dimissa, sed potius aucta scelera sacrilegè confessorum, ideóq; sententiâ subjacent, & supplicio multiplici, quod ps. 68. *consignatum legimus: deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur. fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum. effunde super eos iram tuam, furor iræ tuæ comprehendat eos.* En, ut effundatur ira in sacrilegos & comprehendat eos repentinus Domini furor. Fuit obstinax peccator, mori potius, quàm confiteri paratus, quem Apostolicus quispiam Zelotes solum convenit, in genua sua procubuit, crucifixi simulachrum è sinu protulit, exclamavit: ego Illustrissimam Dominationem vestram per universorum Dominum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem, per cruenta illius vulnera, per sanguinem pretiosum, per mortem ignominiosam, per copiosam redemptionem obtestor, & adjuro, convertatur aliquando ad Dominum Deum suum, & confessione seriâ secretos expiet nævos, quia tempus fortassè per brevi non erit amplius, vibravit enim gladium altissimus, arcum suum tetendit, & in eo paravit vasa mortis. at surdo fabula. inter dies paucos repentino oppressus morbo ille Illustrissimus absque ullo poenitentiae signo animam egit. monitor defuncti animam coram eodè crucifixo quantis potuit precibus ac suspirijs commendavit; sed ecce defuncti anima igneis ligata catenis in ardenti bal-

neo & flammeo fluvio comparuit; contra quam insuper ex aperto crucifixi latere non sanguis & aqua ut olim, sed rivus igneus erupit; crucifixus verò inter crepitantes flammâs, & desperantis animæ ejulatus ita locutus est: nōne silui, & taci, nōne dissimulavi? & projecti omnes sermones meos. nunc autem sicut parturiens loquar, dissipabo & absorbebo simul. discede, maledicta anima in ignem æternum vix ista crucifixus ore protulerat, cum vulnus lateris fluvium igneum in peccatricem animam evomuit, & tam profundè immerfit in flammâs, ut videri amplius non potuerit. an non hoc est effundere iram, & comprehendere peccatricem animam in furore? dissimulat Deus, tacet Iesus, cum obduratus peccator sacrilego peccata graviora silentio involvit, at voce tandem parturientium loquitur, & scelerum partus in lucem producit, productos dissipat, dissipatos absorbet, & submergit. Viro feminam jungo, cum hoc hominum genus sacrilego pudori sit maximè obnoxium. Episcopum nescio quem narrat Cardinalis Bellarminus vitæ integerrimæ præfulem consensisse, ut cadaver feminæ omnium opinione sanctæ in suo tumularetur facello. postridie funeris ingressus facellum Episcopus vidit tumulum apertum, ex quo flammæ sulphuræ erumpebant, corpus verò prunis superimpositum affabatur. adjuravit defunctam in nomine Iesu Nazareni Crucifixi Episcopus, diceret qua de causa ita torqueretur? cui mulier: æternum damnata sum! aspexi olim aliquos non castis oculis, quod peccatum quia confiteri semper erubui, projecta à facie justis iudicis, sempiternis cruciatibus sum addicta. ita propalantur scelera post mortem, quæ muti peccatores aperire noluerunt in vi-

ta, confunduntur coram orbe toto, qui coram sacerdote uno salubriter erubescere noluerunt, aperiuntur sepulchra mortuorum, quia monumenta non aperuerant conscientiarum.

§.6.
Malè confitentium
figura uxor Jeroboami.

3. Reg. 14.
v. 4.

Absterret callidos simulatores subrusticus pudor, & odij fortasse incurrendi apud sacerdotem timor? at pudorem & odium tacendo potius incurrunt, quàm confitendo. movet enim Confessarij animum Deus, in cujus manu non reguntur, sed & confessariorum corda sunt, ut præfago subodoretur animo occultata pœnitentis scelera, & divino quodam odio callidam simulationem detestari, ac duro confingere nuntio cogatur. Figura non inelegans in idolomanica Jeroboami uxore legitur, quæ de regij filio sui graviter ægrotantis valetudine sollicita vaticinatum ab Ahia propheta scire avebat responsum, & quia Ahiam ex senio caligare noverat, libentius hunc præ alio positus regij vestibus adsit, atque an moriturus esset parvulus, percontata est. ò quot hæc femina similes sibi hodieque invenit, quæ confessarium potius cæcum, & surdum, & vernaculæ non optimè peritum, quàm doctum, & probum adeunt, & in incognito irrepunt, ut de animæ suæ salute sciscitentur. Sed propheta oculatior mente, quàm corpore simulatricem mox agnovit, & nè salutanti reponere gratias cogere, prævenit salutatione, ingratumque prior dixit *Ave: ingredi te esse simulat? ego autem missus sum ad te durus nuntius.* simulent se dolosi peccatores & peccatrices quantum velint, est qui corda & renes scrutetur Deus, ejusdemque scrutiniij particulam vicario suo sacerdoti indulgeat, ut si ore non dicat, corde tamen gemat: quare aliam te esse simulat? cur si-

mulas continentem, cui adulteria sunt pro jocis? cur devotam, cui blasphemiam pro proverbiiis? cur Angelis familiarem, cujus sanguis juratum dæmoni clamat mancipatum? cur aliam te simulat? ego autem durus cogor esse nuntius; quia pœnitentia tua tibi erit in pœnam, confessio tua in odium & iram, absolutio mea in graviorè damnationem. Exclama hic ò Chrysofome: *ah! quid decipitis vosmetipsos insensati?* S. Chrysof. in C. 37. Genes.

Applaudunt quidem silentio huic vestro dæmones, at averfantur Angeli custodes, detestantur omnes cœlites, creaturæ verò sublimares judicium in vos, & justitiam conclamant. Clamat terra: cur immani rictu mutum nebulonem non absorbeo, ut vivus sepeliatur in inferno? clamat aqua: cur mutum piscem non immergo, & piscibus omnibus objicio in offam? clamat aër: cur pestem in os sacrilegum non inhalo, ut virus occultum ignito carbunculo propalam signetur? clamat ignis: cur fulmina & sulphureos in caput impij non ejaculor ignes, & nefandam non exuro cum labijs linguam, quæ resolvi in confessionem scelerum recusat? clamat cœlum: vidi ego, quod cœlat scelus, & inultum patior? clamat infernus: meus est, qui muto dæmonio obsessus est, hic ponè Cainum, Judam, Caipham locus illius & focus est, devolvatur quantocyus, ut quid frustra superficiem terræ calcet? ita clamant elementa, conclamant cœlum & terra adversus te sacrilege peccator & vindictam urgent, quam certè extorquerent, nisi benignissim⁹ Iesus pœnitentiæ spacium indulgeret, & definito æte sæcula tempore expectaret, ut cor tuum velut aquam effundas, suspiria velut ignes in cœlum ejaculeris, secreta cordis velut hiatum abyssi repandas,

§.7.
Contra sacrilegū
elementa
conclamat

das, & quasi terræ motu seriæ pœnititudinis concussus è centro microcosmi tui omnia scelera non in auras, sed aures sacerdotis ejicias.

§. 8.

- Affectus.

Mirum est, inquit Bonaventura, quomodo talis nimio timore non cōtinuò tremat; sicut tremit foliū in arbore, cū à magno vento movetur; sicut tremit tellus, cū ab intestino ventorum tumultu & impatiēte carceris aëre exagitur. Contremuit terra, cū IESUS in cruce expiravit, & velum templi scissum est, & monumenta aperta sunt, quia videlicet potissimus passionis Dominicæ fructus est, velum præposteri pudoris in templo cordis dirumpi, conscientiarum sepulchra repandi & longo sepulta scelera silentio in lucem veritatis & gratiæ protrahi. *stemus simul*, clamat expirans Iesus, *quis est adversarius meus? accedat*, accedat filius prodigus ad osculum & corde contrito dicat: peccavi in cœlum quod video obtenebrari, & in te quem propter me video expirare! accedat ad pronas Christi aures, in quas pro ultimo morientis solatio infusurret occultatum tot annis peccatum. accedat, inquit Stephanus Cantuariensis, qui peccat, & videat propter se multatum morte, turpatum in cruce, sputis illitum, plagis lividum, spinis coronatum, lanceâ perforatum, & esse adversarius erubescat; erubescat ob sacrilegam tot peccatorū reticentiam, ob præposteram suam erubescentiam, ob tantam sacramento pœnitentiæ irreverentiam illatam. nudum in cruce Iesum peccator inspiciat & denudare illi-

us amore animam suam non erubescat; perfoffum latus aspiciat, & aperire cordis sui latebras tandem aliquando audeat. Divæ Lutgardis sistens se vulnerato corpore Christi dixit: *vides mea Lutgardis, ut vulnera mea clament ad te, nè frustra fuderim sanguinem, mortemque sustinuerim*. Clamant ad te mute peccator Iesu vulnera, clamant lachrymæ, clamat agonalis sudor, clamat ex ore, oculis, fronte, & corpore toto procurrens sanguis, ut oculos & os tandem aperias, scelus occultum explices, nec frustra ignominiosissimam mortem obuisse Christum patiaris. ò sacrilege ego te per caput Christi tui spinis coronatum, quod Patrem cœlestem, ut loquitur Laurentius Justinianus, liquefecit ad misericordiā, flexit ad gratiā, inclinavit ad indulgentiam; per caput inquam spinis coronatū & ad veniam tibi dandam inclinatum obsecro ac obtestor, annue precibus & lachrymis meis, atq; de integra exomologesi cogita. liquefaciant oculos tuos ad synceram lachrymulam lachrimæ Christi, resolvant labia tua ad confessionem integram hiantia labia demortui Christi, vulnerent cor tuum vulnera Christi! ò vulnera! quæ corda faxea vulneratis, & mentes congelatas inflammatis, quæ pectora adamantina liquefacitis, vulnerate, inflammate, liquefacite faxea corda & ora gelata, ut fiat mox sincera confessio, ex confessione Angelis gaudium, dæmoni muto opprobrium, Trinitati gloria & benedictio.



O 2

PHI-